✠

REGIA SENTENTIA LATA in Sacro Supremo Regio Coronæ Aragonum Consilio:

INTER PARTES,

D. FRANCISCI DE LOS COBOS, Domnæ Mariæ de los Cobos, fratrum, & Domnæ Mariannæ de los Cobos, & D. Emmanuelis Pando eius filij, sub relatione Egregij D. Francisci Comes & Torrò, Comitis de Roca-Martì, Regiam Regentis Cancellariam.

IESVS. IN hac causa, quæ in hoc Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio pendet, ex partium litigantium expressa, & conventionali prorogatione, medio transactionis instrumento recepto die decimasexta Aprilis anni millesimi sexcentesimi nonagesimi primi, super proprietatis, & petitorio iudicio successionis in hæreditate, & bonis, quæ fuerunt Andreæ de Soler, Civitatis Oriolæ in nostro Valentiæ Regno, in qua D. Ferdinandus de Pando, & Domna Marianna eius vxor, sive illorum legitimus Procurator supplici libello per eum oblato die secunda Maij anni millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti, causis, & rationibus in eo contentis, petijt declarari Domnæ Annæ Mariæ de los Cobos, & per illius mortem D. Francisco de los Cobos eius filio solum potuisse pertinere, & spectare electionem vnius ex duobus maioratibus, siue vinculis, & fideicommissis hæreditatis, & bonorum de Zanoguera Civitatis Valentiæ, aut dicti Andreæ de Soler, & dictæ Domnæ Mariannæ, quod ex illis dimisserit D. Franciscus, & ad dictum effectum mandari D. Francisco, quod intra brevem terminum dictam electionem peragat, & quod dimisserit, declarari pertinere, & spectare dictæ Domnæ Mariannæ in possessione, & proprietate, vnacùm fructibus, & redditibus cessis, & cedendis à die obitus Domnæ Concordiæ Dominguez & de Zanoguera eius matris, vltimæ dicti fideicommissi, vt per eum asseritur, amborum vinculorum posseditricis, vt in supplici relato li-

libello latius exaratur: & per dictum D. Franciſcum de los Cobos alio ſupplici libello per eum, ſive eius legitimum Procuratorem eadem die oblato, cauſis, & rationibus in eo deductis, petijt declarari dicto D. Franciſco pertinere, & ſpectare in proprietate hæreditatem, & bona fideicommiſsi præfati Andreæ de Soler, in eaque ſucceſsiſſe, vnacùm fructibus perceptis, & percipiendis, ſibique tradi executorialia in forma ſolita ad poſſeſsiones capiendas, vt in libello, cui refertur, latius continetur: & per Domnam Mariam Andræam de los Cobos alio ſupplici libello per illius legitimum Procuratorem oblato die vndecima Maij anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſexti, cauſis, & motivis in eo allegatis, declarari petijt ſibi pertinere, & ſpectare vinculum, & hæreditatem dicti Andreæ de Soler, in eoque ſucceſsiſſe, vnacùm fructibus perceptis, & percipiendis, & conſequenter ſibi tradi executorialia, & alia opportuna, & neceſſaria in forma ſolita ad poſſeſsiones capiendas, aut in caſu, quo eligere debeat dictus D. Franciſcus eius frater vnum ex dictis duobus vinculis de Zanoguera, aut Soler, declarari ad eam pertinere, & ſpectare illud, quod dimiſſerit, vnacùm fructibus, & c. vt in præfato libello, cui refertur, latius eſt videre: & tandem idem D. Ferdinandus de Pando, vti pater, & legitimus adminiſtrator perſonæ, & bonorum Emmanuelis Pando eius filij, petitione per eum oblata die prima menſis Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſexti, cauſis, & rationibus in ea deductis, allegavit, quod caſu quo aliquod dubium conſiderari valeret in prætenſione dictæ Domnæ Mariæ Annæ eius vxoris, & habendo filium maſculum, nempe D. Emmanuelem de Pando iam in rerum natura exiſtentem tempore vacantis dicti vinculi, & multo ante ad eum dubio procul propter ſæpius à teſtatore repetitum maſculorum prælationem dictum vinculum, propter hanc maſculinitatis qualitatem, pertinere, & ſpectare, & dicto nomine ſe oppoſuit, ſive immiſcuit in cauſa, vt latius in dicta petitione cerni valet.

2 Et quia per vltimum, & validum dicti Andreæ Soler teſtamentum conditum die 18. Maij anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi in Civitate Oriolæ in poſſe Petri Triſtany, Notarij Publici eiuſdem Civitatis, & per illius obitum publicatum die decimaquinta Septembris eiuſdem anni, apparet, eundem

An-

Andræam Soler reliquisse nobilem Beatricem Vich vxorem suam vsufructuariam hæreditatis, & bonorum suorum, eius vita durante, ad suas voluntates de dicto vsufructu faciendas, & post istius, dies eundem vsufructum reliquisse nobili Hyeronimę Soler, & Zanoguera sorori suæ vxori nobilis Ioannis de Zanoguera Civitatis Valentiæ, eius vita durante similiter, ad suas voluntates de dicto vsufructu faciendas, cùm tali tamen conditione, quod dicta eius soror vitam degere non valeret in Civitate Valentiæ, nisi aliqua iusta causa sibi bene visa, & ea concurrente, posset ibi morari per vnum, vel duos annos, quia ea erat illius voluntas, ne perderentur, vel deteriora efficerentur illius bona, & hæreditas: & in clausula quarta eiusdem testamenti disposuit, quod post dies dictæ eius sororis, si filius maior illius haberet, & posideret molendinum vocatum de Zanoguera, & domum Civitatis Valentiæ, tunc, & eo casu disposuit, & legavit dicto filio maiori quatuor mille, & sexcentum libras, quas habebat oneratas super dicto molendino, & domo, eius vita durante, ad suam voluntatem de vsufructu illarum disponendum, & post illius obitum dictæ quatuor mille, & sexcentum libræ ad illius descendentes pervenirent, vt de illarum vsufructu gauderent, & ad suas voluntates de fructibus illarum disponerent, & in defectum descendentium illius, disposuit quod dictæ quatuor mille, & sexcentum libræ reverterentur dicti testatoris hæredi in relato testamento nominato.

Et in clausula septima illius, casu quo dictus filius maior eius sororis haberet (vt dictum erat) molendinum, & domum prædictam de los Zanogueras, tali in casu sibi hæredem instituit filium secundogenitum dictæ eius sororis, illius vita durante, & illo vita functo, quod hæreditas, & bona sua pervenirent ad filium maiorem illius, & quod ita sequeretur in succesione illius in perpetuum, in filijs illorum masculis, servando omni tempore maioriæ ordinem: & quod si dictus filius secundogenitus filios masculos non haberet, tali in casu disposuit, quod eius hæreditas, & bona pervenirent ad filium tertiogenitum másculum dictæ eius sororis, eius vita durante, & post illius dies, bona prædicta pervenirent ad eius filiam maiorem, provt de filio maiori secundogeniti disposuerat, & casu, quo secundogenitus filias haberet, & hæres esset tertiogenitus, voluit,

quod

quod dictus tertiogenitus teneretur dare filiæ illarum maiori ter mille libras monetæ Valentiæ ad suas voluntates, & quod ita sequeretur in cæteris filijs dictæ sororis suæ, servando semper ordinem maioriæ in perpetuum, & quod hæreditas illius omnibus temporibus ad masculos perveniret, cum eadem obligatione, & gravamine: & vlterius progrediens testator, in clausula decimatertia ordinavit, quod casu, quo dicta eius soror non haberet filios masculos, tali in casu hæredem instituit filiam secundogenitam dictæ sororis, vita sua durante, si primogenita hæres esset de los Zanogueras, & tali in casu filiæ primogenitæ easdem quatuor mille, & sexcentum libras legavit, vt illis vteretur, & frueretur, dum illi vita comes fuerit, & illa vita functa, ad suos descendentes quæmadmodum in filijs ordinaverat: & vita functa filia secundogenita, prædicta eius hæreditas, & bona pervenirent ad filium maiorem illius, provt in filijs disposuerat, ita quod succesio bonorum, & hæreditas illius ad mascu los perveniret, illis existentibus, sin minus ad fœminas, omni tempore ordinem maioriæ servando, & quod hæreditas illius in perpetuum vinculata maneret, cùm hæc sua voluntas esset, hoc declarato, & addito, quod si filius maior dictæ sororis suæ sine filijs, & descendentibus diem clauderet extremum, tali in casu voluit, quod tertius filius succederet in sua hæreditate, & bonis, si filius secundogenitus hæres esset de los Zanogueras, modo, & forma superius declaratis, cum eisdem vinculis, & conditionibus supradictis, & tali in casu memoratas quatuor mille, & sexcentum libras filio secundogenito legavit forma supra expressa: & in clausula vigesimaprima, iusit, quod ille, qui succederet in sua hæreditate, & bonis, teneretur nominare se, & sibi nomen Andreæ de Soler imponere, & non alio modo: & tandem in clausula vigesimasecunda disposuit, quod si eius soror ab humanis defecisset absque filijs, ita, & taliter quod eius succesio deficeret, tali in casu eandem nobilem Hieronimam Soler, & Zanoguera eius sororem, hæredem sibi vniversalem instituit, ad suas omnimodas voluntates, modo sibi benè viso, cùm hoc, quod non posset suam hæreditatem, & bona relinquere vllo modo à los Zanogueras, cùm hęc esset sua voluntas.

Idem testator in suo codicillo confecto die vigesimanona Au-

Augusti eiusdem anni millesimi quingentesimi nonagesimi, in posse eiusdem Petri Tristany Notarij, suam voluntatem declaravit, quoad hæredis institutionem, preveniendo casum in quo dicta nobilis Hieronima Soler eius soror vnicum filium tantum, vel filiam haberet, disponens, quod tali in casu filius, vel filia vnica in eius hæreditate, & bonis succederet, cum conditionibus tamen in testamento positis, & expressis, & quod filius maior dictæ sororis suę facultatem haberet eligēdi hæreditatem, & bona de los Zanogueras, cùm dictis quatuor mille & sexcentum libris, aut hæreditatem, & bona dicti testatoris, relinquendo electionem voluntati illius, & quod casu, quo dictus filius maior sororis suę hæreditatem testatoris elegerit, tali in casu filius secundus illius teneatur accipere hæreditatem de los Zanogueras, vnacùm dictis quatuor mille & sexcentum libris, & repetit quod omnia prænarrata fiant cùm conditionibus in testamento expressis, moderando prohibitionem relinquendi suam hęreditatem, & bona à los Zanogueras, casu quo absque descendentibus debitum naturæ persolvisset, permittendo, quod si eius soror relinquere voluerit D. Ioanni Zanoguera eius viro vsumfructum suorum bonorum, & hæreditatis, posset hoc facere, vita illius durante, vt latius in dicto testamento, & codicillo, quibus relatio habeatur est videre.

Testatore vita functo, & è vivis sublata nobile Beatrice Vich eius vxore, & vsufructuaria intravit in vsufructu nobilis Hieronima Soler eius soror, quæ ab humanis defecit, sibi superstitibus duabus filiabus ex nobili Ioanne de Zanoguera eius viro, nempè nobili Anna primogenita, quæ successit in hæreditate de Zanoguera, & nobili Hieronima secundogenita vocata, in defectum filiorum secundogenitorum, quæ mortua nobili Hieronima, eius matre die nona Decembris anni millesimi sexcentesimi trigesimi septimi coram Iustitia Civili declarationem petit suæ successionis in fideicommisso de Soler, qui quidem pro dicta successione declaravit, mandādo ei possessionem tradi, provt revera dictum fideicommissum possedit vsque ad diem decimumnonum Februarij anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi octavi, in qua diem clausit extremum, nulla relicta prole, per cuius mortem nobilis Concordia Dominguez, & Zanoguera filia vnica dictæ nobilis Annæ, & D.

Franciſcus de los Cobos, eius vir, petierunt coram Iuſtitia Civili Civitatis Oriolæ, cùm relatione mortis prædictæ nobilis Hieronimæ ſine prole, & etiam nobilis Annæ eius matris, & quod quamvis verum erat ſe poſsidere vinculum de Zanogueta, paritèr verum erat nullum alium remanſiſſe deſcendentem maſculum, ſeu fœminam nobilis Hieronimæ teſtatoris ſororis, & conſequentèr ad eam pertinere vinculum de Soler, petendo ſuper eo declarationem, quam obtinuit à Iuſtitia Civili, declarando ſucceditricem nobilem Concordiam, vti vnicam deſcendentem dictæ nobilis Hieronimæ eius aviç, mandando ei poſſeſsionem tribui, cuius virtute illud poſſedit, ſeu potius detentavit, ſimul cùm vinculo de Zanoguera vſque ad diem ſextum Aprilis milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi noni, qua facti munus implevit, ei ſuperſtitibus (præmortuo iam D. Ioanne de los Cobos, abſque ſobole filio primogenito) nobili Anna Maria de los Cobos vidua D. Antonij de los Cobos, filia primogenita, & nobili Maria Anna, vxore iam dicti de Pando ſecundogenita, & iam natis D. Franciſco de los Cobos, Domna Maria de los Cobos filia primogenita, & Domna Antonia, ſive Ana de los Cobos ſecundogenita, nunc defuncta, dictæ Domnæ Annæ Mariæ filijs, quæ è vivis migravit die octava Decembris anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi quarti, vt ex dictis liquet, & ſunt partes concordes.

Ex qua facti hipoteſi, & ſucceſsionis ſeriæ dilucida, expreſſa, & literalis teſtatoris mens, & voluntas, vinculum, *& fideicommiſſum reale, & perpetuum* ſuæ hæreditatis, & bonorum inſtituendi inter deſcendentes Domnæ Hieronimæ eius ſororis dignoſcitur, propter *verba perpetuo in perpetuum, en todo tiempo*, & alia, & literalitèr in clauſula decima nona, ibi: *De tal manera, que in perpetuum eſtè vinculada mi herencia, como aſsi ſea mi voluntad.* Et quidem incompatibile cum vinculo, & fideicommiſſo de los Zanogueras literalitèr, & fideicommiſſo expreſſa incompatibilitate, & præcipuè in clauſula ſeptima teſtamenti, in qua, vt dictum eſt, inſtituit hæredem filium ſecundogenitum ſororis ſuæ, in caſu quo filius iſtius maior haberet hæreditatem de los Zanogueras: & in clauſula nona, in qua vocat filium tertiogenitum, caſu quo filius ſecundogenitus ſine filijs maſculis obierit, & eodem modo, & forma

ma in alijs filijs dictæ eius sororis, & in clausula vigesima, in qua disponit, quod si filius illius maior sine descendentia decederet, tali in casu disposuit, quod filius tertiogenitus sit illius hæres, si secundus hæres fuerit de los Zanogueras: & in clausula decimatertia, in qua filias eiusdem sororis suæ, in filiorum masculorum deficientiam vocat eodem modo, & forma, quibus filios masculos vocaverat, nempè existente primogenita filia herede de los Zanogueras secundogenita, & deinceps in alijs filiabus: & in clausula vigesima secunda prohibendo expresse, quod nec in casu quo ad suas voluntates in illius hæreditate, & bonis succederet, liceret ei illam relinquere à los Zanogueras vllo modo, cùm ea esset sua voluntas, &. in clausula prima codicilli casum, in quo eius soror cum vnico filio, vel filia decederet præcavendo, & in clausula secunda electionem filio, vel filiæ maiori accipiendi vnum, aut alterum fideicommissum ex duobus de Zanoguera, vel de Soler, tribuendo quæ quidem, nisi inter incompatibilia, & quæ simul stare non possunt, recadere nequit, ex quibus aperta testatoris mens, & voluntas detegitur, vnionem, & concursum hæreditatis suæ cum hæreditate de los Zanogueras in vna, & eadem persona eodem tempore prohibendi.

Et quod incompatibilitas hęc realis, & perpetua, & non restricta ad solos filios, vel filias nobilis Hieronimæ Soler testatoris sororis, sed afficiens omnes lineas, gradus, successiones, & personas succedere volentes, suadet tota testamenti, & codicilli relata series, & contextura, præsertim ex tot vicibus repetita incompatibilitate, & quia ad illam disponendam motus non fuit testator ex odio ad primogenitum, & primogenituram, eo quia ita demùm secundo, vel tertiogenitos sororis vocat, in casu quo primogenitus, vel primogenitá hęreditatem de los Zanoguerás possideret, tùm quia omni tempore voluit ordinem maioriæ, sive primogenituræ servari in filijs, vel filiabus secundogenitorum sororis, ex quibus depræhenditur primogenitos, nec primogenituram abhorruisse, sed tantum vnionem, & concursum suæ hęreditatis cum ea de los Zanogueras in vna, & eadem persona eodem tempore, sed solum ea charitate, & affectu subveniendi, ac providendi alijs, nempè secundo, vel tertiogenito ex suis bonis, & hęreditate considerans,

rans, quod primogenitus satis esset de alio maioratu, nempè de los Zanogueras provisus, & ne confunderetur eius nomen, & memoria, istaque sepulta iaceret, & melius eius hæreditas, & bona conservarentur, quæ sunt regularia, & ordinaria incompatibilitatis hæreditatum motiva, & rationes, quod satis expressit in clausula, in qua vsufructuariam eius sororem relinquit, incolatum, & domicilium in Civitate Valentiæ ei prohibendo ea ratione, & causa expressa, ibi: *Porque no se pierdan, y menoscaben mis bienes, y herencia*, & in relata clausula, in qua iussit, quod ille, qui succederet in sua hæreditate, & bonis, debeat nominari Andreas Soler, & non alio modo, tùm quia incompatibilitas, concepta reperitur per vocationem secundo, tertio, vel quartogenitos, & sic per nomina appellativa, non per nomina propria, quia forte tunc temporis nati non fuerant filij, vel filiæ secundæ, vel tertiogeniti eius sororis, & sic tamquam non cogniti ad eorum personas testatorem affectionē particularem habere non pòtuisse, certum est, & nedum in iure notum est ex coniecturis induci hanc qualitatem realitatis, & perpetuitatis, incompatibilitatis, & quidem capacem extensionis, & repetitionis, si tales fuerint, ex quibus mens, & testatoris voluntas desumatur, verum etiam ex sua natura semper realem, & perpetuam dijudicandam esse, si testator eam clarè, & expresse, & quidem restrictivis verbis non limitaverit ad certas personas, lineas, vel gradus, & mens testatoris, & intentio semper interpretanda est, vt velit nomen, & familiam suam cùm alio non confundi, nec illius hæreditatem, & bona, cum alio commisceri, vt melius, & diutius conservetur, & perpetuetur, & cùm hic regularis effectu, & ratio sit dispositionis, quæ concursum maioratuum, seu fideicommissorum impedit pro expresso haberi debet, quæ quidem non verificarentur incompatibilitate ad solos secundogenitos filios limitata, & restricta, ideoque cum tota dispositio respiciat bona inde incompatibilitas realis debet existimari, quia in ipsam dispositionem, vt salva sit, dirigitur.

Et licèt dictus de los Cobos varijs rationibus, & fundamentis contrarium adstruere conetur, filiosque, vel filias nobilis Hieronimæ Soler sororis secundogenitos non egredi incompatibilitatem præfatam, nec extendi ad lineas, in quibus nunc

repe-

reperitur successio nempè in descendentibus nobilis Annæ Zaguera filiæ primogenitæ dictæ nobilis Hieronimæ testatoris sororis, in quibus incompatibilitatem non disposuit, duabus præcipuè rationibus, vna ex foris Regni Valentiæ, iuxta quos causa hæc decidenda venit, & alia ex iuris communis dispositione desumptis in illis cautum reperiri ait testatorum dispositiones ad literam intelligendas, & observandas fore absque vlla allegatione legum, & quarumcumque glossarum, illarumque interpretatione, vel extensione, ex iuris communis dispositione, quia qualitas hæc incompatibilitatis, & quod succedat secundogenitus, excluso primogenito, qui regularitèr est prædilectus in successionibus, est odiosa, & irregularis, & contra iuris communis dispositionem, ideoque non porrigenda vltra personas, & casus à testatore expressos, quia testator semper præsumitur disponere, vt minus lædatur ius commune, & semper pretulisse viam iuris communis speciali, dispositionemque testatoris semper interpretari deberi, vt non inducat aliquid exorbitans à iure, licèt potuerit hoc facere, & dispositio, quod quis non possit obtinere duos maioratus, vel duo fideicommissa, vel hæreditates, cum adimat id quod de iure haberi poterat, nempè duos, tres, vel amplius maioratus, sive fideicommissa, est odiosa, extraordinaria, exorbitans, & irregularis, & sic restringenda, non amplianda, nec repetenta ad casus, & personas non expressas.

Prædicta tamen supra stabilitis non refragantur, nam tam quod de Regni Valentiæ foris, quam de iuris communis dispositione dicitur, non procedit, cum de voluntate, & testatoris mente constat, sive verbis expressa, sive ex legitimis, & vrgentibus coniecturis desumpta; voluntas etenim, quæ per coniecturas desumitur, expressa est, & testatoris mens, & voluntas etiam tacita primum locum obtinet, & servanda est, spreto verborum sono, & cortice; verba enim ad mentem trahuntur, & illi serviunt non è contra, ea enim est, quæ testatorum dispositiones regit, & dominatur, ex ratione etiam tacita, coniecturali, & præsumpta, & satis dicitur expressum, quod sub ratione dispositionis continetur, & comprehenditur, licèt omissum fuerit, nec tunc dicitur interpretatio extensiva, sed comprehensiva, & potius comprehensio, quam extensio, & inter-

pretatio, & non solum in favorabilibus, sed etiam in pœnalibus, & correctorijs, hæc regula obtinet.

Prædictaque præcipuè procedunt, quando vna sola dispositionis ratio reddi valet, quia tunc pro expressa habetur, & operatur omnes effectus, quas ratio expressa in quacumque dispositione operari solet, & cum in hoc casu vna sola, eaque principali, & fundamentali ratione excitatus fuerit testator, ne scilicèt vinculum, seu fideicommissum ab eo institutum cum illo de Zanogueras iungeretur, & concursum abhorruerit, ne nomen, & illius familia cum alio confunderetur, ne ve eius hæreditas, & bona cum alia commisceretur, vt diutius conservaretur, consequens est, vt ratio ea vnica in omnibus gradibus, lineis, & successorum personis pro expressa habeatur quia omnibus convenit, & in omnibus æqualitèr viget, alitèr enim, si propter dictorum fororum dispositionem, verborum sonus, & cortex potius, quam mens testatoris, & voluntas attendi deberet, esset verbis, & non rebus, legem imponere, & testantium voluntates penitùs destruere, & subvertere, & quod favore illorum constitutum esset in eorum odium retorqueretur, quæ omnia ius non patitur, & iniquitatem hoc in casu fori prædicti continerent, quod non est dicendum, ideoque plures apud Regni Valentiæ practicos referuntur sententiæ, tàm in hoc Sacro Supremo Regio Consilio, quàm in illius Regni Regia Audientia per legitimas, & non leves coniecturas decidisse, omissa litera, & verborum cortice, vt in eis videre est, & incompatibilitatis causa, & concursus prohibitio vnius cum alio maioratus, seu fideicommissi favorabilis est, non odiosa, nec exorbitans, vel irregularis, præsertim in dispositione facta per collateralem, siquidem redundat in Reipublicæ favorem communis, & privatæ vtilitatis, absque primogeniti præiudicio, cui relinquitur bonorum provisio alterius maioratus, & in favorem publicum, vt melius familiæ conserventur, & multiplicentur, & in favorem testatorum, ne confundantur, & oblitteretur eius nomen, splendor, & memoria, & in favorabilibus extensio datur, & repetitio de vno ad alium, & secundum iuris regulas favores esse ampliandos, notum est.

Nec tandem officit, quod obijcitur nempè, quod quidquid sit de realitate, & perpetuitate dictæ incompatibilitatis, & an

pro-

protrahatur vltra filios secundogenitos dictæ testatoris sororis, necne, tamen in casu qui evenit per obitum nobilis Hieronimæ Zanoguera, & Soler filiæ secundogenitæ dictæ testatoris sororis sine prole, & per transitum successionis ad lineam nobilis Annæ primogenitæ per literalem, & expressam testatoris dispositionem in clausula prima codicilli sępius relatâ effectos fuisse ambos maioratus simul habendi capaces nedum filium, vel filiam vnicam sororis testatoris, de qua loquitur clausula, sed etiam omnes illius lineæ primogenitos, cum eadem in omnibus militet ratio, & consequentèr successisse in vinculo de Soler nobilem Concordiam Dominguez & Zanoguera vnicam dictæ nobilis Annæ filiam, quæ ambas hæreditates de Zanoguera, & Soler possedit, & in ea præcisse vnitæ fuerunt, quia erat idem casus, aut saltem eadem ratio voluntatis, & dispositionis testatoris, & sic deinceps omnes alios primogenitos, vel primogenitas, nempè post illius obitum nobilem Annam Mariam eius filiam primogenitam, & post huius obitum dictum de los Cobos istius primogenitum capaces extitisse ambas hæreditates possidendi.

Non enim hæc officiunt, nam casus, & dispositio in dicta clausula prima contenta, in dicta nobili Concordia verificari non potuit, nec inspecta dispositionis litera, cum de filijs loquatur, nec vocationem per eam habent nobilis Annæ primogenitę descendentes, quia casus descedendi nobili Hieronima, cum vnico filio, vel filia non successit, cum duas relinqueret filias, & secundogenita cum effectu successisset in hæreditate de Soler, ob cuius mortem sine prole, cum maioratus transcendere deberet ad transversalem illius, & casus iste non esset expresse à testatore prævisus, nec provisus, necessario succedendi ratio depromi debuit ex vocatione tacita, & generali, quæ resultat ex perpetuitate fideicommissi, nec per illius rationem, nam ratio fuit, quia hoc in casu nulla alia aderat persona ex prole dictę nobilis Hieronimæ testatoris sororis habilis, & capax ad succedendum in eius hæreditate, & bonis, sicque necessitas ipsa huic præcautioni causam dedit, & dispensavit, vt succedere valeret, & succederet vnicus filius, vel filia eius sororis, quamvis hæreditatem, & bona de Zanoguera possideret, quæ quidē ratio cessabat existentibus alijs testatoris descendentibus,

filijs,

filijs, nempè dictæ nobilis Concordiæ, qui nati erant tempore obitus dictæ nobilis Hieronimæ, & sic tempore delatę successionis, nempè nobilis Ioannis primogenitus, Domna Anna Maria secundogenita, & nobilis Marianna tertiogenita, vt ex actis liquet, in quibus recadere poterat vinculum de Soler separatum, & divisum à vinculo de Zanoguera, quod dicta Concordia posidebat; nam cum, vt dictum est, incompatibilitas realis, & perpetua cum tam enixa testatoris voluntate sit, non est præsumendum, quod dum adessent personæ distinctæ, quæ hęreditatum possessiones separare possent, permitteret testator, quod in vna sola ambæ iungerentur, & concurrerent, ideo dici nequit, dictam nobilem Concordiam hæreditatis de Zanoguera, posseditricem, in hæreditate de Soler succesisse, neque pro succeditrice, & posseditrice illius legitima haberi valet, & possesio, quam habuit, possesio de iure dici nequi, sed tantum detentatio, seu occupatio de facto per filiorum taciturnitatem ob matris viventis reverentiam, quam habuerunt, quibus præiudicium in ferri non valet hic iustus, & reverentialis actus in casu illius obitus, ideoque huius succesionis vacatio de iure consideranda non est, ex morte nobilis Concordiæ, nec capacitas lineæ, quam nobilis Marianna eius secundogenita de secundogenitura formavit, sed solum ex decessu dictæ nobilis Hieronimæ filiæ secundogenitæ testatoris sororis sine sobole defunctæ, ex eo tempore principium linearum desumit, quia maioratuum, sive fideicommissorum vacationes non regulantur, nec metiuntur ex persona, quæ de facto possedit, sed ex persona, quæ iuris dispositionem, & secundum leges à testatore in sua dispositione pręscriptas succedere debebat: qui enim non succesit, nec succedere potuit, vacantem efficere nequit, nec declaratio Iustitiæ Civilis Oriolæ illam legitimam succeditricem efficere valuit, eo quia fuit incitata parte interesse habente, & etiam erroneo motivo subnixe, nempè nullum alium superesse descendentem masculum, vel fœminam nobilis Hieronimæ testatoris sororis, & hoc motivo tamquam vnicam descendentem illius succeditricem declaravit, & in possesionem de facto immisit.

Ex quibus infertur, quod considerata vacante huius succesionis, & illius delatione à die obitus dictæ Hieronimæ secun-

cundogenitæ absque descendentibus, & existente nobili Concordia, cum tribus filijs, nempè Ioanne primogenito, Anna Maria secundogenita, & Marianna tertiogenita, in hoc fideicōmisso succedere debuisse, & successisse nobilem Annam Mariam, vel directè, vel per mortem dicti D. Ioannis eius fratris præmortui, & in eius persona radicatam fuisse successionem vsque ad decessum dictæ nobilis Concordiæ eius matris, quæ successit die sexta Aprilis anni millesimi sexcentesimi octuagesimi noni, extantibus iam filijs, D. Francisco, Domna Maria, & Domna Anna, postea è vivis sublata, & quamvis dicta Anna Maria, propter incompatibilitatem, incapax esset retinendi ambas hæreditates, cum haberet hęreditatem de Zanoguera, in qua successerat per mortem dictæ eius matris, præcisse vacavit fideicommissum de Soler, & fuit acquisitum, vel recta via Domnæ Mariæ filiæ secundogenitæ, Domnę Annæ Mariæ, vel eligente D. Francisco, eius fratre, in hæreditate, quam dimisserit ex dictis duabus hæreditatibus, & sic in hæreditate de Soler, si elegerit hæreditatem de Zanoguera, vel è contra, eo quia cum Domna Anna Maria successisset in vinculo de Soler, & radicata fuisset successio in sui persona, lineam formavit pro se, & filijs suis, & cæteris descendentibus, ad quam formandam non requiritur actualis possessio, sufficit enim, quod de iure ad eam successio pertinuerit, & cum successerit in hæreditate de Zanoguera per mortem nobilis Concordiæ eius matris, semel in ea radicata successione, vel succedendi iure, & formata linea, & personæ in ea contentæ proximiores personæ eligere debentis sint, nequit successio ad aliam lineam remotiorem, nēpè lineam Domnæ Mariæ Annæ, dicti D. Francisci eligere debentis, & dictę Domnæ Mariæ succedere prætendentis materteræ transitum facere, nisi omnibus descendentibus huius lineę extinctis, & penitùs evacuata, & extincta linea prædicta Domnæ Annæ Marię, sicque tam dictam Domnam Mariannam, quam eius filios, & descendentes exclusos ab hac successione manere, quodcumque vinculum, sive fideicommissum eligat D. Franciscus de los Cobos, qui quidem ambas hęreditates simul, & eodem tempore ei reluctante reali incompatibilitate per supradicta, obtinere, & possidere nequit sola electione ei competente, videlicèt vinculum de Soler per supradicta, & vinculum de Zanoguera, si fortè vinculum de Soler ele-

 ge-

gerit,nedum per ſupradicta, ſed alia etiam ratione, quia nempè non potuit de vinculo de Zanoguera, vt potè ab eo non inſtituto, & ſic de aliena hęreditate, & bonis diſponere, nec ei legem dicere;immò in eo ſuccedendum, & per inſtitutionem, & vocationes teſtatoris,qui fideicommiſſum fundavit, quas alterare non valuit Andræas Soler, ex hoc elicitur etiam alia vrgentiſsima coniectura voluntatis dicti Andreæ, quod voluerit, facultatem eligendi concedere tantum inter fratres, non autem inter nepotes, & materteram,reſpectu cuius non poterat in totum verificari eius diſpoſitio, quę redderetur fruſtratoria, & vna determinatio reſpiciens plura determinabilia, debet æqualitèr determinare, & etiam excluſo eius filio D. Emmanuele de Pando, quamvis maſculo,in nihilo refragante, ſæpius repetita à teſtatore maſculorum pręlatione, cum verbis perpetuitatem importantibus, nam vltra quod maſculinitatis qualitas non reperitur expreſſa in caſum,qui evenit nempè tranſitus ſucceſsionis ad lineam primogenitæ, & ad eius deſcendentes, cum non ſit favorabilis,ſicut eſt incompatibilitas,immò odioſa, exorbitans, & correctoria iuris communis, non debet intelligi in eis repetita per eum formatum,dici nequit fideicommiſſum nudę, & ſimplicis maſculinitatis, ita vt fuerit formata qualitatis maſculinitatis linea,cum enim ſucceſſerit in maioratibus,ſive fideicommiſſo de Soler,Hieronima filia ſecundogenita alterius Hieronimæ teſtatoris ſororis, per hanc ſucceſsionem fuiſſet effectum regulare, quod evenit per intermixtionem, aut ſucceſſionem alicuius fœminæ, & quia non fuerunt iſtæ excluſæ immò vocatæ, ſicut maſculi cum ſola horum prælatione, vt patet in clauſula decimaoctava teſtamenti, ibi: *De tal manera, que la ſucceſsion de mis bienes, y herencia vaya à los varones, aviendo varones; y ſi no, en las mugeres, & c.* Dici nequit formatum fuiſſe fideicommiſſum nudæ, & ſimplicis maſculinitatis translineale ad alias lineas, ita vt in qualibet linea, etſi remotiori,& excluſa, ſint maſculi ad ſucceſsionem quærendi, ſed tantum inducta maſculorum pręlatio in eadem linea, & gradu abſque eo quod fœmina, melioris lineæ, vt eſt Domna Maria, excludatur per maſculos vlterioris, & remotioris lineę iam excluſæ,& poſtergatę,nempè lineæ Domnæ Mariæ Annæ, ex quibus,& alijs venit, vt infra declarandum.

His propterea,& alijs meritis proceſus attentis, & aliàs deli-

liberationem , & conclusionem , in hoc Sacro Suprẹmo Regio Aragonum Conſilio, cum interventu vnius ex nobilibus, & magnificis Iudicibus Aſſociatis, alio propter infirmitatem abſente, ſumptam, in ſequendo, pronuntiamus, ſententiamus, & declaramus, incompatibilitatem, & prohibitionem vnionis, & concurſus hęreditatum de Zanoguera , & de Soler , in vna , & eadem perſona ſimul , & eodem tempore per dictum Andręam Soler in eius pręchalendato teſtamento, & codicillo diſpoſitam, & ordinatam, non ad ſolos Hieronimę Soler eius ſororis filios, vel filias ſecundogenitos , vel ſecundogenitas limitatam , & reſtrictam, ſed realem, & perpetuam fuiſſe, & eſſe, omneſque lineas, gradus , vocationes, & perſonas ex deſcendentibus dictę Hieronimę Soler, & de Zanoguera teſtatoris ſororis ſuccedere volentes, comprehendere, & afficere; ideoque dictum D. Franciſcum de los Cobos fideicommiſſum , & hęreditatem de Zanoguera poſsidentem, non poſſe ſimul , & eodem tempore hęreditatem , & bona dicti Andreę Soler obtinere , & poſsidere, vt per eum prętenditur , & conſequenter in hac prętenſione ſilentium ei imponendum fore, & eſſe, provt cum pręſenti imponimus; ſed tantum facultatem à teſtatore conceſſam in dicto pręchalendato codicillo eligendi vnam ex dictis duabus hęreditatibus, & quam ex eis retinere, vel dimittere velit, ad ſui arbitrium, & voluntatem, competere , & pertinere, & hęreditatem, quam ex eis dimiſſerit, electione facta, ad dictam nobilem Mariam de los Cobos illius ſororem pertinere, & ſpectare, in eaque ſuccedere , & pro vera, & legitima illius ſucceditrice declaramus, eique tradendam fore, & eſſe, provt cum præſenti traddi mandamus, poſſeſsionem, ſeu quaſi dictę hæreditatis , vnacùm fructibus liquidatione dictæ hæreditatis, & bonorum illius fructum, & temporis à quo , & aliorum forſan liquidandorum reſervata, & ad dictum effectum mandamus dicto de los Cobos, quod intra terminum vnius menſis præciſum, & peremptorium à die huius ſententiæ cōputandum, eligat, & declaret, quam ex dictis duabus hæreditatibus retinere , vel dimittere velit, quo elapſo, electione non facta , amplius eligendi facultatem non habeat, & quod hoc in caſu eligendi, facultas devolvatur , abſque alia proviſione, vel declaratione , ad dictam nobilem Mariam de los Cobos eius ſororem , provt cum præſenti devoluit , & pro devoluta haberi declaramus, pronuntiamus , & ſententiamus, & dictis coniugibus D. Ferdinando Pando , & Dominæ

Ma-

Mariannæ de los Cobos illius vxori, & eidem D. Ferdinando, vti patri, & legitimo administratori personæ, & bonorum D. Emmanuelis Pando eius filij, & eidem Emmanueli silentium fore, & esse imponendum in iam relatis illorum prætensionibus vnius, & dictis duabus hæreditatibus, provt cum præsenti imponimus, pariterque condemnandos fore, & esse, provt cum præsenti condemnamus dictos coniuges de Pando & de los Cobos, vti administratores bonorum hæreditatis de Soler ad deferendam administrationem præfatam, & detentationem illorum dictæ Domnę Mariæ de los Cobos, si D. Franciscus eius frater hæreditatem de Zanoguera elegerit, & paritèr in casu, quo electione per dictum D. Franciscum non facta intra terminum prę-fixum, & asignatum, dicta nobilis Maria eius soror hæreditatem de Soler elegerit, vel dicto D. Francisco, si hæreditatem de Soler elegerit, & etiam in casu quo electione per eum non facta intra terminum ei asignatum, dicta nobilis Maria eius soror hæreditatem de Zanoguera elegerit, vnacùm fructibus perceptis, & percipiendis, & paritèr in hoc eodem casu, quo dictus de los Cobos hæreditatem de Soler habere, & illam de Zanoguera dimittere elegerit, & etiam in casu, quo electione per eam non facta intra terminum ei præfixum, & asignatum, dicta nobilis Maria eius soror hæreditatem de Zanoguera elegerit, condemnandum fore, & esse dictum de los Cobos, provt cum præsenti illum condemnandus ad deserendam vacuam, & expeditam possesionem, seu quasi hæreditatis prædictæ Domnæ Mariæ eius sororis vnacùm fructibus illius perceptis, & percipiendis liquidatione omnium dictorum fructuum, & temporis à quo, & aliorum forsan liquidandorum reservata, non obstantibus quibuscumque in contrarium per partes respective dictis, deductis, & allegatis, & neutram partem in expensis condemnamus, sed pro vi stractis solitam executionem fieri iubemus.

D. Iosephus Rull Regens.

Vidit Comes & Torrò Regens. *Vidit D. Segismundus Monter Regens.*
Vidit Lopez Regens. *Vidit Iurado Regens.*

Publicata fuit huiusmodi Regia sententia per Ioseph Peña Regium Mandati, & Cameræ, & suæ Maiestatis Scribam die decimaquinta mensis Ianuarij, anno à Nativitate Domini 1700. instante, & humilitèr supplicante Thoma Aguilar Procuratore, D. Francisci Andreæ Soler & de los Cobos, alteris partibus absentibus, & c.